

DEO OPTIMO MAXIMO
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis vigesimo-sexto mensis Aprilis, Anno Domini M. DCC. LVII.

M. RAYMUNDO DE LA RIVIERE, Doctore Medico, Præside.

An in annonæ caritate in farinosis diversi modè præparatis præsidium.

I.



CORPUS humanum solidis fluidis que conflatum partibus è suâ substantiâ continuo deperdit. Fluida solidis agitata evaporantur, solida fluidis eroduntur, brevi rueret tota machina, nisi quantum continuâ deperditione amittimus, tantum repararetur ex alimentis. Tellus dum vere floribus vestitur suis, messibus æstate tegitur, autumno poma maturescere facit; homini non defuturam alimentorum copiam promittit, quin imo non

homini ſoli victum præbere amat, ſed & alimenta ſuppeditat omni animantium generi, homini deinceps profuturo. Homo namque non ex ſolis vegetabilibus vivere conſuevit, ſeu ſic à naturâ fuerit inſtitutum ſive aliter ingluvies ſuaſerit. quidquid ita ſit telluris gremium dixeris theſaurum orbis ſumptuarium; illius theſauri divitiæ dum exiſtant, iis homo ſi utatur; omnia bene ſe habebunt; verùm ecce; heu ſæpius! invita tellure, quæ quot annis aratrum patitur, pluvias combibit & fructus procreare geſtit, tantis adeo que neceſſariis beneficiis, aëre vitiato, defraudamur. Meſſes langueſcunt, moriuntur herbæ, nullis aut noxiis pabulis animalia ſaturantur. Jam homo ſibi pertimeſcat neceſſe eſt. Quid faciat? Vegetabilia non ſufficiunt; ad armenta confugit; ipſa aut deſunt, aut noxiis paſta, alimentum ſuppeditabunt noxium interea videas famem per Provincias graſſari, atque ſibi comitem, ſe fortaſſe ideo minus triſtem quod tantorum malorum finem importet, peſtem adjungere. Tantis obſtupefacti calamitatibus, omnia ne crederitis complorata. Natura deficiente ad artem confugere eſt. Cum jam ſævire incæperit fames ſuperſunt farinæ, ſuperſunt gramina, verum non adeo copioſa, ut ſi ex iis ſolitos panes conficias, ſufficiant, aliter præpara jamque ſatis erunt.

II.

ARS medendi Divino ſpiritu mortalibus afflata ut quidquid peccaret natura corrigeretur, communi hominum beneficio nata, omnibus ſudat, omnibus invigilat, atque allaborat. Non in vano præparationum apparatu conquieſcit, verum quantis profuerit cumque minori illorum labore atque impenſâ meminiſſe amat. Si alimenta quæ famis tempore ſuperſunt ita præparaverimus ut major quantitas ſucci nutritii ex illis eliciatur, conditionibus requiſitis fecerimus ſatis, ſufficient alimenta cum de his ſobrius utendum ſit, omnibus erunt obvia ſi quidem minus rara erunt, ex eo quod minus de his aſſumatur; noxii nihil habebunt, cum nihil aliud effectum fuerit quam ſucci nutritii majorem quantitatem ex his elicere, quàm imitari digeſtionem, nec ſuccos à naturâ ad nutritionem deſtinatos mutare ſed è carceribus ſuis educere. Alimenta verò quæ ſuperſunt exploremus, & quænam ſint ex quibus præparationum ope nutritivarum molecularum major quantitas detrahi poſſit, determinemus. Ex tribus regnis duo nutrimentum præbent, tertium alimentorum condimentum ſuppeditat. Si carnes aſſumimus ita atteruntur maſticatione, ſalivâ penetrantur, potibus diluuntur, conquaſſantur motu ventriculi, calore foventur ſucco gaſtrico ita imbuuntur atque diluuntur, ut à fibroſis craſſis ve partibus, ſecernantur nutritivæ moleculæ. Naturæ ars æmula, ipſam aliquatenus imitatur dum è carnibus ope calidi liquoris juſcula extrahit; unde juſculorum quantitas quoad molem minima, poteſt homini alimentum ſuppeditare; ex iis concludi poteſt quod juſcula non malè requiſitas ſupra-conditiones adimplerent, verum huc-uſque non niſi magno apparatu, magnâque impenſâ è carnibus juſcula extrahere ars novit. Feliciori cum ſucceſſu vegetabilia tentata ſunt. Ex his plurima ad nutriendum idonea quorum variæ partes, modo caules nunc folia, nunc fructus depaſcimur. Verùm inter adeo utilium vegetantium partes præſtantior nulla quam ſemen. Inter animalia quæ ſolis vegetabilibus nutriuntur, multa, ſemina ſimul aliaſque partes depaſcuntur, inſtinctu verò appetituque naturali verſus ſemina propelluntur, natura brutis ratione deſtitutis cum negaverit ad eligendum neceſſariam rationem, rationis loco conceſſit inſtinctum. Rurſus verò illa animalia nonne tunc ala-

criora, ſubeundis laboribus aptiora, cum ſeminibus veſcuntur. Sed quid multa! ſeminum præſtantia evincitur ex uſu illius noſtri panis. (1) Quis cibus pane latius patet. Inter varias gentes quæ terras incolunt, multæ, facie, colore, corporis habitu, moribus, omnes à ſe invicem diſcrepant, nulla aut fere nulla farinas ſuas non ſubigunt. jam patet quanta ſit farinarum utilitas, ſupert eſt ut cum rariores fuerint ita præparentur ut earum indigentia præparatione compenſetur,

(1) Vid. hoffm. Lib. II. Cap. IV. de Salubr. & in Salubr. eſculent. art. XI.

III.

VARIAS methodos farinarum præparandarum hùcuſque quidam édocuerunt. In una quaque methodo tenui diſpendio, copiâque leviſſimâ vixere bene multi; nec tempore hujus victûs nec poſtea male ſe habuerunt. Quinimo à laboribus non ceſſarunt. (2) Inter varias illas methodos notabiles illæ quibus è famis faucibus erepta ſervata que eſt nobis Aquitania. Prima methodus pulmentum delphinenſe vocatur; alia orizæ præparandæ rationem, ſive jura carnium, ſive lac miſcendo edocet. (3) Eadem expirimenta nuper tentata in invalidorum regia domo proſpere ſucceſſerunt; quænam ſit recens illa methodus publicè notum quidem non eſt. Illud verò conſtat quod ſex unciæ farinoſi cujuſdam pulveris certo modo præparati ſufficiant ad nutriendos homines à laboribus quales ſolent exercere milites, non abſtinentes.

(2) Traité des alimens, de M. Lemery, 3e édit, par M. Bruyer. tom. 1er p. 545.

(3) M. Bruyer. tom. 1er p. 543.

IV.

JAM memoravimus omnes fere gentes paucis exceptis farinas ſubigere. Quæ verò ex ſolis animalium ſivè quadrupedum ſivè avium, ſivè piſcium carnibus victitant, innumeris vexati morbis vix mediam partem ævi quod vivunt cæteri homines, adæquant. (4) Inſulæ cui *Camaran* nomen incolæ hordeum quoddam album inter duos lapides tritum in pultem redigunt. Mays quot gentibus victum ſuppeditat? Orientales fere omnes populi ex illius farinâ veſcuntur; oriza alimentum eſt Ægyptiorum, Perſarum, Maurorum multorumque aliorum. Moſcovitæ cum ad bella peregrinantur ſecum quiſque miles victum qui ſufficiet portat. Victuſque ille nihil aliud quam farinoſus pulvis. Quot quot peregrinatores de variâ vivendi gentium ratione ſcripſerunt, tot varias parandarum farinarum rationes retulerunt. Illæ verò variæ præparationum rationes in eo conſtant ut triturentur farinæ & in aqua diluantur. Jam conſtat perenni univerſalique experientia gentes ab ævo præparatas farinas pro cibo habere. Farinarum proprietates attendenti; unde nam pendeant adeo utiles earum proprietates, facile patebit. Nutritivæ plantarum partes ab aliis partibus juxta leges artis ſeparatæ, efformant illud quod chemiſtæ, *corpus mucoſum* vocavere. Illud corpus quod in ſeminibus maxime abundare docuit experientia, ſeorſim exploremus, inodorum, fere inſipidum, conflatum ex acido, oleo, aquâ terrâ que copioſâ ſed ita inter ſe mixtis ut nullum proemineat. Non ne jam illud corpus primo etiam aſpectu noſtræ ſubſtantiæ maxime congruum judicaretur; nonne multum ſimile extracto huic à ventriculo ex alimentis educto ſub chili nomine: utrumque inodorum, inſipidum, ex oleo, aqua, terrâque conflatum, utrumque ex principiis coagmentatum itâ mixtis ut nullum prædominium teneat. Quænam igitur materia ad nutriendum magis idonea, quam ea quæ huic materiæ ſimillima eſt, ſeu potius ipſa illa quam ex alimentis elicit natura. aliunde verò in ſuprà recenſitis præparationibus huc vergit omnis ſcopus ut farinæ ſubactæ, tritæ, fluido quodam aut lymphatico, aut lymphâ abundante diluantur, ſeparentur ipſarum partes quod non aliud eſt quàm in-

(4) Hiſtoire générale des voyages, par M. A. F. Prevoſt. tom. 1er p. 146.

choare digestionem, chilumque ut ita dicam arte præparare. Famis verò seu alimentorum assumendorum necessitas statim desinit ubi copiam assumimus nutritivarum molecularum, deperditarum molecularum numero haud imparem. Unde importat alimenta non quot, sed qualia, non quanta, sed quomodo præparata assumere. Quid multa! ritè præparatæ farinæ nutrimentum efformant chili æmulum, aliunde eadem ferè methodo præparatum. Alimenta in ore triturantur, lymphâ è salivalibus glandulis stillante imbuuntur, in loco calido, ventriculo nempe, liquoribus lymphaticis penetrantur. Quid absonum in nostris præparationibus.

V.

OBJICIET aliquis farinarum usum sanitati noxium compertum sæpius fuisse. Ac primo quidem dum pulte ex farina & lacte nutriuntur infantes, variis morbis cruciantur; ex intestinis laborant, in ipsorum ventriculo vermes nascuntur. Quid verò commune est inter farinam fermentatione non prius præparatam, qualis est ea quæ infantibus præbetur, & illam de quâ nunc agimus. Deinde quod vermes nascantur, arbitratus est inter recentiores vir de physicâ optime * meritus illud ab eo repetendum esse quod nutritivarum molecularum illa alimenta majori quantitate abundent quam requiritur ad tenelli corporis nutritionem. Adulti verò dum farinosis utuntur ipsis gravitat ventriculus, molesta eructandi necessitate torquentur. At verò idioma cunctis notissimum, optima quæque, si luxurient peccare. Quoad gravitatem verò repetenda ex eo quod farinosa aquâ facile turgescant, præparata verò quemadmodum monuimus nequeunt turgescere, cum intumescentia nascatur ex aquæ moleculis inter solidas partes interpositis, in nostris verò præparationibus solidæ partes diluuntur, nequeunt turgescere cum cedant actioni lymphæ; quoad ructus, nascuntur ex aëre ob loci calorem sese expandente ex moleculis quas inter detinebatur, at in fermentatis aër dum fermentescebant sese expandebat. Verum subjunges quod qui farinis utuntur brevi crassâ corporis mole & pinguedine turgescunt. Undenam nisi ex eo quod farinæ multum nutrimenti contineant.

* a M. de Buffon, t. 2. p. 470.

Ergò in annona caritate in farinosis diversimodè præparatis præsidium.

Proponebat Parisiis NATALIS-NICOLAUS MALLET, Carnutæus; Doctor Medicus Remensis, necnon Saluberrimæ Facultatis Midicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Author, A. R. S. H. 1757,

A SEXTA MERIDIEM,

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Med. Typogr. 1757.